



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.50. Odo Rigaldus Archiepiscopus Rothomagensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

§. L.

Odo Rigaldus Archiepiscopus Rothomagensis.

Pomer.
p. 474.
Gall. Chr.
to. I. p. 587.

Pomp.
p. 438.
Gall. Chr.
to. I. p. 588.

Inter Præsules cum S. Ludovico tessera-
riam Crucem amplexos memoratur O-
do Rigaldus Archiepiscopus Rothoma-
gensis. Nobili ortus genere, cum Ordini
Minorum nomen dedisset, Parisiis Ale-
xandrum Alensem Magistrum habuit, ac
verbi divini præconio optimo successu o-
peram dedit. Postquam Archiepiscopus
Odo Clemens 5 Maji an. 1247 e vita di-
scesserat, Canonici Rothomagenses fra-
trem Odonem Rigaldum ob ipsius meri-
ta cooptarunt: & Papa Innocentius IV
electionem probavit. Odo Lugdunum,
ubi Papa erat, profectus, ibique consecra-
tus pallium pastorale accepit mense Mar-
tio an. 1248. Inde redux Rothomagum
intravit Dominica prima post Pascha 26
Aprilis. Hanc amplam dioccesim per vi-
ginti septem annos gubernans exempla
tam bona præbuit, ut vivendi regula vo-
cicaretur: recognoscendæ præsertim pro-
vinciæ se applicabat; neque tamen ne-
gligebat sua temporalia. Anno 1249 in
Angliam delatus certos proventus suæ
subtractos Ecclesiæ possidendos recepit.
An. 1255. Rex S. Ludovicus ei Pontæfia-
ni

ni Archidiaconatus collationem liberam, *Sæcul. XIII.*
 & an. 1262 arcem Gaillioniam per com- *A. C. 1267.*
 mutationem cessit.

Postquam cum Rege symbolicam cru- *Pom. p. 480.*
 cem Ponte Audomari diœcesis Lexovien- *Spicil. t. 9.*
 sis urbe eodem anno 1267, induerat, po- *p. 78.*
 stridie festum obitus S. Joannis Baptistæ, *to. XI. conc.*
 nempe 30 Augusti concilium provinciale *Pom. p. 2530*
 habuit: in quo fuit præceptum, ut Cle-
 rici, etiam conjugati, ab omni negotiatio-
 ne abstinerent: ut tonsi & Clericorum
 more vestiti incederent, alioquin Cleri-
 privilegiis non fruituri; ut ne Clerici &
 cruce signati Papæ vel Legatorum litte-
 ris in suum commodum abuterentur. Ar- *Joinville*
 chiepiscopus, postquam cum S. Ludovico *p. 125.*
 Tunetum petierat, secundo concilio Lug-
 dunensi sub Gregorio X interfuit, & an-
 no sequente 1275. 2 Julii e medio abiit.

§. LI.

Decimæ in Gallia.

Qui Regi S. Ludovico, ut copias in ex- *Rayn. 1267.*
 peditionem sacram educeret, au- *n. 49. 51.*
 thores fuerant, illos multi carpebant, eo *Joinv.*
 quod tam infirmo esset corpore, ut nec
 arma gestare, nec in equo diu sedere pos-
 set. Verum Papa Clemens eum præle-
 ferre crucem edoctus, per litteras ei su-
 scepium consilium gratulabatur, magnis
 hoc laudibus efferens: simulque scripsit
 Cardi-